QUID

DE CATECHISMO

SENTIENDUM SIT

DISSERTATIO

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die XXIII mensis Februarii A. D. MDCCCLXXXII, hora, a. m. X.

PUBLICE DEFENDET

EUGENIUS MENEGOZ

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS CAROLI NOBLET

13, VIA DICTA CUJAS, 13.

—

1882

QUID

DE CATECHISMO

SENTIENDUM SIT

DISSERTATIO

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die XXIII mensis Februarii A. D. MDCCCLXXXII, hora, a. m. X.

PUBLICE DEFENDET

EUGENIUS MENEGOZ

LUTETIÆ PARISIORUM

TYPIS CAROLI NOBLET

13, VIA DICTA CUJAS, 13.

1882

Præside viro summe venerabili

A. VIGUIÉ

Moderabuntur solemne publicum examen triumviri doctissimi :

A. VIGUIÉ, P. P. O.,

E. VAUCHER, P. P. E.,

G. BONET-MAURY, P. P. O.

SACRÆ

CARISSIMI PATRIS

MEMORIÆ

E. M.

QUID

DE CATECHISMO

SENTIENDUM SIT

> Catechismi institutio cuivis christianorum necessario debet esse percepta et cognita, ita ut si quis hujus cognitionem non habeat, in christianonum numerum merito non sit referendus neque ad sacramentorum participationem admittendus. Quemadmodum opifex quispiam manuarius, qui artis aut opificii sui rationem et usum non callet jure optimo reprobandus et minimi pretii habendus.
>
> Lutherus (*Brevis præfatio Catechismi maj.*)

INTRODUCTIO

Ad hujus dissertationis tractationem accessimus, duabus in quas officio pastorali vacantes incidimus considerationibus commoti.

Primum quidem animadvertimus, bona institutione catechetica neglecta, quum piam singulorum hominum vitam magno detrimento affici, tum ecclesiæ christianæ ædificationem magnopere impediri; assiduum vero doctrinæ christianæ e bono catechismo comparatum tirocinium, permagna in ambas illas partes afferre emolumenta. Quas assertiones in ipsa dissertatione, occasione data, factis confirmabimus.

Altera causa quæ animum ad hanc rem agitandam incitavit est, quod in nostræ patriæ ad evangelicam confessionem pertinentibus ecclesiis minime intelligi videtur quæ sit catechismi notitia, qualem ipsi intelligimus qualemque in Germania et in Scotia, exempli gratia, intellectam videmus. Quod sine dubio desideratur quia ad hunc diem nullus eorum qui fidem evangelicam in nostra republica profitentur id assecutus est, ut catechismum componeret talem qui, summa perfectione indutus, ab omnibus una voce acciperetur, sicut

Lutheri Catechismus minor in Germania et Catechismus brevior in Scotia. Eo fortasse theologi nostri impediti sunt quin talem libellum componerent, quod materiam ipsam catechismi ignorabant. Multi enim in nostra civitate evangelici de hac re incertissima falsissimaque sentiunt. Ad quem errorem quibusdam a majoribus traditis de Scriptura Sacra notitiis adducti sunt, quæ rei catecheticæ progressioni maximo impedimento fuerunt.

Quamobrem illorum opiniones incertas falsasque proferre, et quid de catechismo sentiendum sit quæque emolumenta e boni catechismi usu tam singulis christianis quam toti ecclesiæ capienda sint, exponere nobis propositum est.

Qua in re tractanda quinque partes per ordinem nobis considerandæ erunt : prima, quæ sit notitia destinatioque catechismi; secunda, quæ debeat esse catechismi materia; tertia, quæ catechismi debeat esse dicendi forma; quarta, quomodo catechismo utendum sit; quinta, quod optimum catechismi exemplar exstet.

PARS PRIMA.

QUÆ SIT NOTITIA DESTINATIOQUE CATECHISMI.

Non catechismi annales nobis hic sunt percurrendæ. Accipimus hanc vocem eo sensu quem post XVI sæculi reformationem ecclesiæ habet. Lutherus primus ea voce usus est, appellavitque hoc nomine ad instituendas res divinas libellum (1). Ex eo tempore idem illius vocis substitit sensus in tota ecclesia christiana.

Est autem opinio quædam, cui, quamquam valde profusæ, vehementer tamen obsistendum putamus, nempe eorum qui catechismum modo adolescentibus, imo infantibus addictum esse censent. Qui ita opinantur, quæcunque adolescentium intellectum excedunt, e catechismo excludere conantur. Quæ res strictissime etiam

(1) Secundo die Februarii anni Domini 1525, sic ad amicum suum Nicolaum Haussmannum scripsit Lutherus : « Jonæ et Islebio mandatus est catechismus puerorum parandus. » Et vicesimo sexto die Martii ejusdem anni : « Catechismus, ut antea dixi, mandatus est suis autoribus. » (De Wette, D. M. Lutheri epistolarum collectio, II, 621 et 635).

agentibus parum succedit, quia res divinæ omnium hominum intelligentiam superant; atque hac ratione non modo eas quas scire oportet christianas doctrinas minoribus natu non præbent, sed etiam ne incertas tantum atque fugaces religionis imagines eos doceant vitari posse, non videtur. Neque alii, quorum major est pars, qui christianæ fidei locos omnes in catechismum recipere, sed sub leviore ac puerili ad juniorum unice mentes adaptata forma præstare volunt, meliorem rationem sequuntur; nam illam religionis christianæ propriam vim omnino auferunt. Ex quo consequitur, ut adolescentes, simul ac primam communionem fecerunt, talem catechismum non aliter quam infantium crepundia rejiciant. Neque tunc liber solus, sed, eheu! una cum libro etiam ejus præcepta repudiantur; liber enim atque quæ in eo continentur sententiæ in puerorum animis firmissime unita sunt. Sic ipsæ catechismi doctrinæ, ut adultorum indignæ, relinquuntur, eamdemque quam nutricum fabulæ fortunam experiuntur.

Sed nostra quidem sententia, catechismus longe alio spectat. Paratus est enim, non ad puerorum, sicut existimamus, sed ad adultorum usum; et pueri eum discunt ut, homines facti, eum funditus teneant suamque vitam ad ejus præcepta accommodent. Omnino ergo Luthero assentimur qui eo quem hujus dissertationis principio inscripsimus loco dicit, catechismum « cuivis christianorum » necessario perspectum et cognitum esse debere, ita ut si quis hujus cognitionem non habeat, « in christianorum numerum merito non sit referendus. »

Catechismus ergo est institutionis sacræ liber, qui utendus est universo populo christiano, nemine prorsus excepto. Ad minores pertinet et ad majores natu, ad sapientissimum quemque non minus quam ad rudissimum, ad theologos ut ad laicos.

Quoniam ergo ad omnes pertinet, ad omnium quoque intellectum accommodatus esse debet. Quæ quidem permagna difficultas et, ut ita dicam, artis miraculum est.

Quæ quum ita sint, nunc affirmamus juniorum gratia catechismum compositum esse debere, id est ita scriptum, ut ab adolescentibus et ab iis qui parvo sunt ingenio satis intelligi et optime memoria retineri possit.

Sed quæcunque futilia et inania et puerilia sunt, strictissime diligentissimeque ex tali libello excludere oportet, quum catechismus æque et præcipue ad populi adultam multitudinem spectet. Cate-

chismus usui debet esse pauperi opifici qui ab ortu usque ad occasum solis ingentem laborem præbet, et qui defessus in familiam suam reversus, otio deficiente, multis libris legendis vacare non potest. Pariter in usum esse debet agricolæ, qui, prima communione facta, nulli unquam per totam vitam libro manum admovet. Non minus recreare debet inopem mulierem, quæ nec legere nec scribere didicit, et quam vicina amica nonnunquam, per breve tempus, religionis elementa docere conatur.

Præterea catechismum quasi religionis nucleum firmum esse oportet, quem negotiatores, et homines studiis dediti, et magistratum gerentes, et litterarum periti, et artifices in vitam secum auferant. Quibus, suis laboribus absumptis, raro tempus superest quo continuo quodam modo rebus sacris et propositis divinis operam dare possint. In qua re minus fere quam putatur ditissimus argentarius et pauperrimus operarius inter se differunt. Ad quorum utrumque catechismus pariter spectat.

Imo ad theologum ipsum pertinet. Religionis enim christianæ nullæ sunt doctrinæ arcanæ quæ modo paucis initiatis reserventur. Laicorum idem quam verbi Dei ministrorum Evangelium est, ac litterarum rudium unum et idem quod theologiæ doctorum. Theologo haud minus quam ulli catechismo opus est, quia in media doctrinarum inter se contrariarum certamina conjectus, eo firmo quem catechismus præbet fundamento eget, ne omne adminiculum amittat. Catechismus adeo theologo prodest, ut eijugem thesaurum offerat. Lutheri miranda verba hic referimus: « Ego vero, inquit, ut de me ipso dicam scilicet, tametsi doctor ac prædicator sum, non minori, ut opinor, quum doctrina tum experientia præditus, quam ii, qui tanta de se præsumunt et ad tantam securitatem pervenerunt : haudquaquam tamen imitari me pueros pudet, sed quemadmodum illos catechismum docemus, ita et ego mane aut quandocumque vacui aliquid temporis datur, ipsam orationem dominicam, decem præcepta, articulos fidei, psalmos aliquot cet. mecum ipse quasi ad verbum recito. Et quamquam adhuc quotidie lectionibus et studiis vaco, attamen ne sic quidem possum pervenire quo cupio, aut præstare quæ volo. Ita fit, ut puerum ac discipulum catechismi etiam hodie me profiteri necesse habeam, profiteorque libenter » (*Præfatio Catechismi maj.*).

Quibus illustrissimi illius reformatoris verbis, duplicem catechismi vocabulo notionem subjectam esse apparet, quam quidem

distinctionem permagni momenti esse existimamus. Nam substantia ex qua catechismus consistit, ab externa forma, in qua præbetur, scilicet a libro quem catechismum vocant, discerni necesse est. Illa catechismi natura, quæ tantummodo mente cernitur, est catechismus absolutus et perfectus, catechismus κατ᾽ ἐξοχήν. In catechismi libro summa illa species, seu majore seu minore congruentia, ante oculos posita est. Quare, quum eximiæ illius imaginis attingendi formam conamina inter se discrepare et ex eis varii libelli manare possint, distinguendum nobis erit inter catechismum absolutum, qui tantummodo ad cogitationem pertinet, et diversos catechismos, qui sunt exemplaris illius præstandi experimenta plus minusve idonea.

Rem summam et perfectam intuentibus, plus quam unum catechismum existere non posse perspicuum est, quia una tantum est summa ejus species. Sed in hac re, non idem omnes theologi summum et optimum judicant. Primum igitur statuendum nobis erit qualis, e nostra sententia, optima sit illa catechismi species.

Ad quod proferendum, tres constituimus propositiones, quibus postulatur, primo, ut catechismus cum Scriptura sacra congruat; secundo, ut tantum *præcipuæ* christianæ fidei doctrinæ in eo contineantur ; tertio, ut hæ doctrinæ genere dicendi simul populari ac classico exponantur.

Si quis hæc tria proposita in animo in unum conjunxerit, illud quod dicimus catechismi perfectum exemplum conceperit.

Semperque, quandocumque in hujus disputationis processu de munere quod in ecclesia ad catechismum pertinet loquemur, de hoc catechismo perfecto disputabimus. Quam rem maximi esse momenti arbitramur, quia, etiamsi de exempli illius efficiendi ratione, qualem nos instituimus, lector nobiscum non consentiat, tamen multum effectum esse putabimus, si, suo ipsius modo illud exemplum exsecutus, catechismo idem quod nos attribuendum arbitramur munus agnoverit, et nobiscum de secundis concinuerit effectibus, qui ex tali qualem nos intelligimus usu catechismi manaverint.

Jam ad illum quem « nostrum catechismum » appellamus, scilicet ad ejus absolutam perfectamque formam exponendam transeamus, et primum quæ doctrinæ capita in eo reperiantur consideremus.

PARS SECUNDA.

QUÆ SIT CATECHISMI MATERIA.

Primum rejiciamus opinionem, qua catechismum Scripturæ Sacræ summarium esse existimatur. In nostro catechismo ne librorum quidem biblicorum nomina enumerantur. Neque Israelitarum historia neque prophetarum oracula in eo reperiuntur. Ex toto vetere Testamento nihil nisi decalogus proponitur. Neque magis, nonnullis Jesu Christi vitæ fragmentis exceptis, Testamenti novi mentio fit. Quod non est Bibliæ summarium; ceterumque optimum quodque Bibliæ summarium pessimum fore catechismum putamus.

Præterea non magis nobis in animo est, catechismum in Bibliæ locum substituere. Si tamen Formulæ Concordiæ proposito subscribimus, quo catechismi « quasi laicorum biblia » esse dicuntur (1), non ita hoc intelligimus ut catechismus sit laicorum Scriptura Sacra, vel laicis Bibliæ loco præbeatur, sed vocem illam « *biblion* » eo sensu quem habet græca vox ἐγχειρίδιον, et gallica, « *manuel,* » scilicet libellum « in quo omnia illa breviter comprehenduntur, quorum cognitio homini christiano ad æternam salutem est necessaria. » Revera pro illis quibus ad Bibliam scrutandam neque facultas neque otium est, catechismus enchiridion sacrum κατ᾽ ἐξοχήν esse debet.

A laicis autem satis instructis non minus quam a theologis, catechismus cum sacra Scriptura conferendus est. Non enim inter catechismum et Bibliam discrepantia ulla esse licet, sed contra catechismum secundum Bibliæ rationem compositum esse oportet, et in eo animo quo librorum sanctorum auctores impleti erant, permanere, quum ex illo spiritu cujusque christianæ doctrinæ pondus æstimandum doctrinæque præcipuæ a minoribus secernendæ atque inter se religendæ sint.

Quibus constitutis, adducimur ut quæ fidei christianæ capita in catechismum recipienda sint disseramus.

(1) « Minorem et majorem D. Lutheri catechismos quasi laicorum biblia esse censemus, in quibus omnia illa breviter comprehenduntur, quæ in scriptura sacra fusius tractantur et quorum cognitio homini christiano ad æternam salutem est necessaria » (Form. Conc. Introd. III).

Nostro quidem catechismo hæ tantum (ut jam diximus) doctrinæ insunt, sine quibus nemo christianus esse potest, « *so ein jeglicher Christ zur Noth wissen soll,* » ut ait Lutherus in germanica inscriptionis nostræ versione. Superest ut quæ sint tales doctrinæ sciamus.

De qua re diverse opinantur theologi. Fidem romanam profitentibus, doctrina de papæ auctoritate est una ex illis doctrinis præcipuis; anabaptistæ autem egregium de baptismo adultorum locum in suo catechismo non omissuri sunt; atque evangelici nonnulli de divina Scripturæ Sacræ inspiratione locum in catechismo explicari vehementer postulant. Sed non est hic locus dijudicandi de variis hisce sententiis, neque ullæ nisi quas ipsi præcipuas habemus hìc proferendæ sunt doctrinæ.

Religio autem christiana, si quis ex communi hujus verbi significatione totam et universam considerat, ad quinque capita præcipua reducenda videtur, quorum primum est Dei voluntas ex præcepto suo cognita, quæ *lex* divina vocatur; secunda res est conditionum cognitio quibus veniam impetrant qui a sancto illo præcepto discesserunt, nempe *fides* in Deum Patrem, Filium et Spiritum sanctum; tertio loco venit continua vitæ cum Deo communicatio, *precibus* effecta; quarto loco, aditus ad fœdus christianum *baptismo* patens; quinto denique, communicatio cum illius fœderis principe, quæ *sancta cœna* perficitur. Hæc sunt prima et præcipua christianæ religionis capitula.

Quod constituentes, minime asseveramus, neminem salvum esse posse, nisi qui illa quinque capita pernoverit. Neque enim de ea conditione hic disputatur, sine qua salus est nulla; sed modo dignum ullum esse negamus qui nomine christiano appelletur, nisi qui hanc christianæ fidei summam noverit et vitam suam ad eam adaptet. Qua de causa hanc summam in nostro catechismo inesse volumus.

Quodsi alia doctrinæ capita, ut locos de peccato originis, de libero arbitrio, de Scripturæ Sacræ inspiratione, de ecclesia, de ministerio pastorali et alios, in catechismo omittimus, ita facimus, non quod has doctrinas parvi esse momenti putemus, sed quia christiano non admodum necessario cognoscendæ videntur. Nam in catechismo tantum res maxime necessariæ exponendæ sunt. Qui modus si exceditur, liber ipse optimus esse potest, sed profecto malus erit catechismus.

Ex epitome illa ad quinque capita reducta aliud magnum illud commodum sequitur, ut catechismus talis præstetur, qui ab uni-

versa ecclesia accipi possit. Revera, quo magis ad doctrinas universe acceptas restrictus est, eo certius, ab omnibus acceptus neque unquam obsolescens, ad subsequentes ætates descendet, id quod in catechismo maximi sane momenti est.

Postquam constituimus quales sint doctrinæ catechismi, oportet ut eas verbis congruis expromamus. Imago enim antecepta animo in formam sermonis, et ita quidem ut hæc forma cum catechismi proposito conveniat, ducenda est.

Qua in re exsequenda, verba abstracta prorsus condemnamus, quum neque adolescentes neque ex vulgo homines (qui nonnunquam, neque immerito, pueri seniores vocantur) sermonem abstractum comprehendant. Concretis enim et brevibus propositionibus eis opus est, quas facile percipere et retinere possint. Neque minus, secundum nostram de catechismo opinionem, locorum summa ita est exprimenda, ut etiam ex theologi sententia res gesta sit.

Æque, si fieri potest, cavebimus ne novam demus formulam. Veterem, a majoribus traditam, perpetuitate disciplinæ firmatam, si paulum modo sit justa, cuilibet novæ formæ multo præstare conspicuum est; primum ex hac ecclesiasticarum rerum ratione quod unitatis ecclesiæ per sæculorum fugam conservatæ testis est, et hanc nostram ad majorum ætatem alligat; deinde ex ratione quadam pædagogica, quam de catechismi studio disserentes agitabimus.

Quas animadversiones memoria tenentes, quinque nunc illa supra commemorata doctrinæ capita consideremus.

Incipit lex divina, pro qua formulam conspicuam, brevem, ad vulgi sensum accommodatam, a prioribus traditam reperire non magni laboris est, quum in vetere Testamento sub *decalogi* forma longe pulcherrima quod quærimus præbeatur. Quæ forma et ab adolescentibus facile retinetur, et a vulgo comprehenditur, et theologorum admirationem habet. Quin etiam, ut totum Dei præceptum continet, ita a tota ecclesia accipitur. Quare prima catechismi pars erit decalogus.

Jam ad secundam partem transeamus, quæ est christiana fides. Pro qua non minus formulam ecclesiæ traditione consecratam habemus : nempe *symbolum apostolicum*, cujus notiones communes ex apostolorum temporibus repetuntur. Hoc symbolum primis sæculis erat fidei confessio eorum qui baptismum petebant. Cujus aliquot verba quamquam in medium vocari possunt, tamen fieri non potest

ut alia forma popularis reperiatur, qua fides christiana eodem summo et præstantissimo modo coacta sit et qua melius quod pædagogi e catechismo repostulant suppeditetur.

Quod ad precationem attinet, egregiam illam formulam habemus quæ nobis ab ipso Christo data est, scilicet *orationem dominicam*. Quæ precatio universæ ecclesiæ thesaurus exstat, cui suapte natura locus in catechismo addictus est; quod ita se habere a nemine in controversiam vocabitur.

Pro *baptismo* tandem et *cœna* supersunt nobis ipsius horum sacramentorum *institutionis verba*, quorum auctoritatem divinam esse christianorum negat nullus.

Ex quo sequitur, quinque catechismi partes hisce reddendas esse formulis : decalogo, symbolo apostolico, oratione dominica, baptismi et cœnæ dominicæ institutionis verbis.

Ex his partibus noster consistit « *catechismus nudus*, » ut Lutherus illa christianæ religionis elementa vocat.

Præcipuis his quinque doctrinæ christianæ capitibus constitutis et in certas formas inclusis, cujusque harum formularum simplex et ad usum apta et cum Scriptura conveniens explanatio addenda est ut quid illa verba valeant et quo pateant bene intelligatur. De cujus interpretationis externa forma infra disputabimus, et hic solum ejus naturam designabimus. Minus enim hæc interpretatio singula formularum verba exsequi quam quæ sententia in quaque insit formula explicare debet. Res enim postulat, explanationem complecti summam earum doctrinarum, quibus formula tanquam fondamentum est. Itaque per se ipsa explanatio opus est sui generis, et item maximi momenti, nam ex ea patebit pro qua ecclesiæ secta ille catechismus sit compositus. Interpretatio ergo catechismi naturæ inhæret, ejusque necessaria pars est.

In nostro igitur catechismo quinque illa quæ supra commemoravimus capita ex Augustanæ confessionis sententia explicata erant, in qua veras Scripturæ doctrinas proponi arbitramur.

Appendix. — Hactenus solum de catechismo proprie sic dicto disputavimus. Quamobrem quum ex nobis quæri possit, adolescentibusne meliori mente præditis nihil nisi quinque illas res præcipuas oblaturi simus, hoc loco exponemus quid de complementis sentiamus quæ catechismo proprie dicto pro illis adolescentibus addenda

existimemus, qui, quum illa quinque catechismi momenta funditus addidicerint, ut amplius instruantur idonei sint.

Sed, ne justum modum excedamus, ab initio eorum ætatem definire refert a quibus catechismum disci velimus; ex quo termino de illo appendice facilius dijudicabimus.

Quocumque modo sentitur de confirmationis usu a prioribus accepto, atque de prima communione, vel de ea consuetudine qua catechumeni ecclesiæ publice traduntur, si post annum decimum quartum extremum institutionis catechumenicæ finem ponimus, ne in ullam gravem contradictionem incidamus periculum non est. Quin etiam non multum abest ut dicere possimus, hanc ætatem a natura ipsa præstitutam esse.

Plerumque autem dimidia prope pars catechumenorum plus quam quinque illa præcipua discere poterunt. Sed etiam tum pro discipulorum viribus modus constituendus est. Nam inter adolescentes meliore ingenio præditos, appendix non ad excellentissimos spectabit. Quare hoc complementum, ut intra verum remaneat modum pædagogicum, tale esse oportet, ut ad mediocria ingenia respiciat.

Harum conditionum ratione habita, nunc ex quibus rebus complementum illud constare debeat dijudicandum nobis est.

In tres autem partes, ut arbitramur, dividendum erit. Quarum prima continentur orationes breves simplicesque et mane et vespere dicendæ, et ante et post prandium, et officium divinum ineundo et inde egrediendo, et peccatorum confessio et communionis precationes; deinde inerunt præcipui Scripturæ loci qui ad propria officia conjugum, parentum, liberorum, dominorum, famulorum, magistratuum, civium, minorum majorumque natu, ad omnemque christianum populum pertinent; id quod Germani « *die christliche Haustafel* » vocant, et latine domus christianæ speculum appellari potest.

Secunda parte, præter libros Scripturæ Sacræ enumeratos, locorum biblicorum delectus continebitur. Quorum non plures quam trecentos inscribi oportet. Atque ut secundum discipulorum ingenium et facultatem et institutionis necessitatem eorum selectionem facere liceat catechistæ, non alienum erit, ut ex his locis centum fere, qui maximi sunt momenti, signo quodam proprio notentur.

Tertia denique appendicis pars consistit ex selectis aliquot psalmis vel e psalmorum exscriptis locis, itemque canticorum ver-

sibus qui numero octoginta seu centum esse poterunt, et quorum item principuos signo, ut supra diximus, notari refert (1).

Qua appendice, una cum catechismo proprie dicto, catechismus amplior conficietur, quem quidem in hac etiam latiore forma catechismum vocare solent.

Noster igitur catechismus, qualem modo definivimus, tres amplectitur partes, quarum prima est catechismus qui nudus appellatur, atque ex solis quinque capitum formulis constat; secunda pars est catechismus proprie ita dictus, qui eadem illa quinque capita continet cum explicatione brevi et populari, nec plus quam decem fere paginas in summa complectitur; tertia autem pars illud est supplementum, quod ad melioris ingenii discipulos reservatur, atque preces, locos biblicos et canticorum versiculos continet.

PARS TERTIA.

QUÆ CATECHISMI FORMA ESSE DEBEAT.

Quo minus homo est litteris deditus disciplinisque excultus, eo magis rerum naturam cum earum forma confundit. Quam rem ita se habere psychologiæ meditationibus certiores facti sumus; idque in catechismo perficiendo respiciendum est, quum catechismum veram pædagogicam formam induere magni intersit.

Ad quam rem perficiendam in primis de ratione adhibenda discernendum erit.

Duplex enim agendi modus præsto est : modus analyticus, quo a communibus ad singulares notiones receditur; et modus syntheticus, quo a singularibus ad communes notiones proceditur.

Utrumque modum secuti sunt, qui catechismos conscripserunt. Sed modo synthetico assentiri minime dubitamus. Cujus quidem sensus causæ hæ sunt.

(1) Patrum nostrorum usum, quamquam magni momenti nullo modo esse videtur, tamen sequi non dubitamus, quo in extremo catechismo mensam pythagoream inserere solebant. Quod a catechismo alienissimum esse minime negamus; attamen optime cum psychologiæ legibus convenit, atque nonnulla emolumenta ex eo sequi persæpe animadvertimus. Imo pythagorea mensa quodam modo ut catechismi symbolum haberi licet, quia mathematicæ scientiæ fondamentum est, ut catechismus christianæ doctrinæ.

Modo analytico aliquanta mentis præparatio atque argumentandi consuetudo requiritur. Sed neque adolescentium neque simpliciorum hominum animi ita exculti esse solent ut ad talem cogitationis formam apti sint. Ut enim infantes primum aliquot notiones singulares arripiunt, et tantummodo gradatim ad notiones communes perveniunt, ita quoque minus eruditi adulti tantum singulares quasdam res in religione amplectuntur, neque curant quomodo inter se conjunctæ sint, neque magis an convenientia quadam interna ad unum spectent. Tales enim res eorum intellectum excedunt. Notiones communes modo paulatim finguntur. Quin etiam sunt qui nunquam ad illas perveniant. Ergo qui rationem analyticam in his rebus sequuntur, pædagogorum scientia carent; et quum catechismum ad unum modo animorum genus accommodent, universam catechismi destinationem non intelligunt.

Neque minus catechismi naturam pervertunt et quod ejus proprium est delent, qui eum in theologiæ speculativæ fines collocant, quæ ex suis præceptis modum analyticum sequitur. Qua ratione discrimen inter catechismum et scientiam dogmaticam penitus oblitteratur, atque catechismus libellus fit dogmaticus. Quin etiam sunt catechismorum auctores qui hanc opinionem, nempe catechismum ad multitudinis intellectum, vel imo ad puerorum ingenium adaptatum dogmaticum libellum esse, expresse exposuerint, et quod ita proponitur in suis catechismis exsecuti sint. Quam rationem docendi vehementer improbamus, quod, quamvis parva sint ejus incommoda quamdiu certis continetur finibus, tamen eo magis institutioni catecheticæ nocet, quo magis elevatur et quo latius dilatatur. Doctrinarum enim scientia est ex disciplinis una quæ pertinet ad eruditos, quum contra catechismus institutionis sacræ sit enchiridion etiam pro rudissimis compositum. Quæcumque res scientiam sapit, e catechismo stricte excludenda est. Natura enim sua catechismus ad plebis præsertim usum parandus est. Quare, quum modus syntheticus ante omnes sit populi modus, eum pro nostro catechismo selegimus.

Sed permultum abest ut hac ratione ars dialectica, qua loci in notionum ordine colligantur, excludatur. Ordine revera illorum quinque capitum quolibet ad incultorum hominum institutionem uti licet; nam juniorum parvi interest utrum Domini orationem, an Symbolum apostolicum, an decalogum primo discant. Sed nos non oblivisci oportet, catechismum etiam pro theologis componi, qui-

bus merito requirere licet, ut ordo quo quinque illa capita traduntur cum suis ipsorum necessitatibus ex scientia nascentibus conveniat, utique ille ordo plane approbetur interiore doctrinarum inter se conjunctione, atque ut, bona quadam ratione synthetica, partes illæ singulæ ex toto intuentibus consensum et unitatem præbeant talem qua hominibus in scientiis versatis satisfiat.

Hoc eo magis necessarium est, quod catechismus ut doceatur aliis tradendus est, et hæc institutio bono ordine et ratione quadam continua fieri debet. Neque hoc effici potest nisi singulæ libri partes ratione et via inter se colligantur et adeo congruenter excogitatus et compositus sit libellus, ut præceptor, eo utens, juste materiam argumentaque evolvere et continuatim apteque ad subsequentia progredi possit. Itemque catechismus ita debet componi, ut conveniat cum ordinis et unitatis sensu, qui juniorum meliore indole præditorum animis naturaliter insitus est. Compositione synthetica ergo semper conservata, nihilominus quæ analyticæ in hominum animis oriri possint necessitates hac ratione æque expleri necesse est. Quod nisi præstetur, ne synthetica quidem ratione omnes pædagogorum expostulationes peragentur.

Sequitur ut de illorum quinque capitum ordine disseramus. Qualem autem ordinem tenebimus, rebus supra dictis jam plane patet, sed eum argumentis confirmare oportet.

Legem primo loco ponimus, quia, nostra quidem sententia, lex, secundum logicæ præcepta, evangelium præcurrit. Nam sine lege peccatum est nullum; et sine peccato nulla est causa cur sit evangelium. Culpa, quæ ex legis violatione oritur, tempore veniam antecedit. Ex lege peccatum esse cognoscitur, et peccati cognitione conscientiæ angor salutisque desiderium efficiuntur. Neque minus in humani generis historia lex divina evangelii manifestationem prægressa est. Quæ eadem historia in singulorum hominum vita iteratur. Quin etiam reperiuntur homines qui per totam vitam in illa fœderis veteris servitute, id est, in illa infirma, puerili ætate permanserint, in qua legis obedientia fidem quasi nuce continet. Quamobrem quum a dialectica arte tum a bona educatione remotam eorum refutare necesse erit opinionem, qui salutis doctrinam ante legem tradendam esse putant.

De reliquorum capitum ordine vix ullus disputandi locus erit. Nam, fide Dei liberi facti, Patri cœlesti preces nostras adhibemus. Porro baptismus necessario sacramento cœnæ anteit; quæ duo sa-

cramenta, quum propria quadam natura ecclesiastica sint induta, loca sua habent post tria reliqua capita, quæ magis ad singulos pertineant fideles.

Lutherus omnium primus non solum quinque illa capita ut in quibus verbum Dei præcipue positum sit distinxit et in catechismum recepit, sed etiam eodem ordine tradidit quo nos quoque ea tradi volumus.

Quam Lutheri opinionem Calvinus secutus est in primo quem composuit catechismo; maximeque dolendum existimamus, quod ab hoc ordine et hac via discedere, et rationem analyticam sequi postea vir ille præstantissimus maluerit. Quo nempe Calvini errore falsisque de catechismi natura opinionibus inde propagatis non parum impeditam esse opinamur rem catecheticam, quominus in evangelica Galliæ ecclesia prosperius adolesceret.

Sed, illorum quinque capitum ordine constituto, ad alteram animadversionum seriem pergamus.

Utrum quinque capitibus una et omnium communis introductio præmittenda sit quæritur, an primo solum capiti; atque transitio inter subsequentia capita propriis indiciis notanda.

Neutrum faciendum censemus. Introductionem enim suppeditare et rationem indicere qua doctrinæ inter se cohæreant pastoris seu catechistæ est.

Quum ad hunc locum pervenimus, non alienum videtur admonere, catechismum non institutionis divinæ ore tradendæ vice fungi, sed, contra, talem instruendi modum non minus requiri atque expostulari. Tantum illius institutionis sicut lineamenta in catechismo indicantur. Catechistæ est hæc præcipua loca secundum adolescentium solertiam exponere atque amplificare. Multarum varietatum ibi locus est. Sed et intelligentiæ et memoriæ causa omnes hæ explicationes circa certas res fixas glomerari debent, nempe circa quinque nostra capita, quæ igitur, ut jam diximus, pure et simpliciter, sine ulla introductione vel transitu tradenda sunt.

Catechismus noster rapit discipulos in medias res, atque his decalogi verbis incipit : « Ego sum Dominus, Deus tuus; non erunt tibi dii alii præter me. » Hisce verbis Deum esse confirmatur; atque ab initio catechistæ amplum meditationum spatium offertur. Quod idem in cæteris capitibus occurrit. Commodum quoque exegeticum non parvum ex eo orietur, quod nonnullæ doctrinæ denuo occurrunt in unoquoque capitum, attamen semper alio adspectu. In decalogo

enim Deus ante oculos ponitur ut summus legislator; in symbolo autem apostolico, ut salvator; et in oratione dominica, ut pater. Illorum igitur quinque capitum unumquidque nucleum præbet instructionis cujusdam sanctæ, quæ unam quamdam naturam habeat et quod elementorum institutione requiritur præstet.

Quæ de introductione diximus, de definitionibus quoque sentiendum arbitramur. Definitionum enim natura abstrusior est et nimium scientiam sapit. Catechista eas secundum discipulorum indolem tradet : nam robustioribus proderunt, tardioribus autem nullius erunt commodi. In nostro igitur catechismo nulla legis divinæ definitio reperitur : præcepta ipsa insunt; nullaque fidei definitio : symbolum apostolicum sufficit; nulla deinde precis definitio : domini oratio traditur. Nec magis sacramentorum ullæ sunt definitiones, sed breves explicationes quibus juniores quid sint acta illa sacra docentur. Iisdem rationibus definitiones de Deo, de peccato, de pœnitentia, de caritate, de spe, de morte, de damnatione, de salute, de æterna beatitudine, de aliis similibus nostro catechismo repellimus.

Æque omnem controversiam et disputationem ex eo excludimus. Nempe quæ christianum præter omnia scire necesse est, religionis sunt elementa, non falsæ doctrinæ, nec quæ contra dici possunt. Nam in catechismo res pure et simpliciter, thetica ratione, ut Græci dicunt, affirmantur. Institutio antithetica ad catechistæ officium, non ad catechismi conscriptionem pertinet.

Explanationes autem in nostro catechismo sub interrogationum et responsionum forma tractantur.

Cur hunc modum præferamus, hæ quidem sunt causæ : prima, quod hic modus magis concretus est atque optime adolescentium simpliciorumque animis accommodatur. Adolescentes enim interrogare gaudent, et interrogationes responsionesque eæ disserendi formæ sunt quæ in communi sermone sæpissime adhibentur. Altera est causa quod hic modus aptior est ad animi intentionem excitandam et retinendam, et quod idcirco cum institutionis catechumenicæ natura melius congruit. Hoc modo illa institutio magis acuitur, quum animorum commercium, quod est inter magistrum et discipulos, illa interrogationum et responsionum vicissitudine alacrius et familiarius fiat. Responsioni deinde aliquid singularius magisque ad discipuli personam pertinens inest quam nudæ expositioni. Accedit insuper illud, quod hæc instituendi ratio in catechume-

norum fidei confessionem converti potest. Quod ad legem attinet, discipulus respondet : « debeo; » quod ad fidem : « credo; » quod ad precem : « precor. » In hac ratione, qua explicatio sub singulorum confessionis forma traditur, maximi momenti emolumentum inest pædagogicum.

Responsio autem ipsa brevis, simplex, concisa, popularis, purissimoque dicendi genere expressa debet esse. Nempe brevis, ut tardiores discipuli sine nimio labore eam retinere et ita in memoriam imprimere possint, ut per totam vitam nunquam ejus obliviscantur. Simplex autem et concisa, quia homines simpliciores nec sententias tumidas nec cogitationes incertas mente complectuntur. Popularis denique sit et pro dicendi genere tanquam ex populi visceribus expromatur. Sed quamvis sit popularis, minime vulgaris debet esse; imo tali sermone concipienda est, quali et litterarum peritissimis satisfiat et simul populi dicendi genus commendetur.

Librum quidem, in Galliæ litteris profanis, tanquam perfectissimum hujus docendi artis exemplar ostendere velimus, scilicet Fontanii fabulas, quæ adeo sunt simplices, ut adolescentes eas ad suum ipsorum modum intelligant, easque ament et facile memoria retineant; simul adeo sunt populares, ut omnis Gallicus civis suam carnem, ut ita dicamus, suumque sanguinem in eis agnoscat; adeo denique sunt genere dicendi puro et classico, ut homo litterarum peritissimus eas legat et relegat maxima cum jucunditate.

In sacris Germaniæ litteris, Lutheri catechismus minor ejusmodi exemplum est; et eo magis, quod Lutherus orationi suæ numerum quemdam feliciter induit, quo non minus fere facile quam versus discatur atque retineatur. Itaque quas in catechismo postulamus litterarum qualitates non tales sunt, quæ præstari non possint.

Quam de catechismi forma quæstionem relinquere noluerimus, priusquam de ejus forma exteriore, nempe de libri typis excudendi nonnulla dixerimus. Theologi nostri evangelici, quum platonicas de animo et corpore doctrinas profiteantur, nimis proni sunt ad animam corporis detrimento prædicandam, itemque ad doctrinarum materiam detrimento formæ quæ in litteris apparet extollendam; et hoc loco non modo de formula loquimur, sed de littera in propria vocabuli vi, id est in typographicæ notæ significatione.

Quoniam ad hunc locum perventum est, non alienum esse videtur, quæ nosmetipsi experti sumus præponere.

Opifex quidam, quem novimus, in pago suo minorem Lutheri

catechismum didicerat. Legere et scribere, quum e schola discederet et artificio se dedere inciperet, minime poterat. Postea septem annos fuit in castris, neque jam religionis curam ullam habuit. Stipendiis finitis, in oppido remoto laborem reperit. Ibi, quum aliquando in socii cujusdam domum venisset, in pueri manibus catechismi, quem ipse didicerat, exemplar animadvertit, quod ipsis litterarum formis agnovit. « En! hic meus est catechismus! » maximo gaudio exclamavit. Statim librum arripuit et per multas lacrymas evolvit. Veterem enim amicum reperisse sibi videbatur. Et ex illo die religionis studio et curæ se dedit, et unus ex ecclesiæ fidelissimis factus est.

Quibus rebus, quas operarius ipse, suum magnis litteris impressum catechismum nobis ostendens narravit, eo magis percussi sumus, quod ille catechismus idem erat, quem in pueritia ipsi didiceramus, et quod, illis notissimis carissimisque litteris ante oculos positis, maxime commoti sumus. Ex illo die, quomodo catechismus vestitus, ut ita dicamus, et cultus sit, permagni interesse existimamus.

Imprimatur nempe litteris majoribus, ut juniorum usui et majorum natu quorum visus debilitari incipit aptus sit. Addimus, eum semper iisdem typis imprimendum esse, ut non modo simpliciores, sed etiam doctissimi eum exteriore specie et indicio agnoscant semperque in eo veterem reperiant amicum.

In formarum unitate quædam esse pericula, et fortasse plura in ecclesiasticis quam in aliis rebus, nemo est qui neget. Sed magna quoque commoda ejus sunt, præcipue in institutione catechetica. In hac re similitudinem maximam, imo absolutam, commendare minime dubitamus. Præterea quod solis de litteris diximus, multo magis ad catechismi materiam et compositionem referendum est. Cæteris paribus, catechismorum varietas malum est, æquabilitas autem magnum emolumentum.

Hac enim unitate vinculum aliquod inter parentes et liberos paratur. Liberi catechismum plerumque patre sive matre adjuvante discunt. Quodsi liberi eumdem discunt catechismum quem parentes antea didicerunt, horum memoria renovatur et quantum in sua pueritia verbo divino commoti fuerint reminiscuntur, vestigiaque sancta rursus apparent; et sic animorum communitas multo magis sentitur, quam quum parentes liberos catechismum docent quem ipsi non didicerunt. Fieri enim solet ut parentes, si liberorum catechis-

mum ignorent, vix illos eum docere curent; liberi autem quemadmodum poterunt rem expedient. Quod contra parentes, si illum catechismum noverunt et etiamtum memoria tenent, facillime atque cum delectatione, etiam negotium suum porro gerentes, liberos in catechismo discendo adjuvabunt. Avus cæcus cum nepote catechismum repetit, quod utrique fructui est.

Inter fideles quoque et ecclesiam vinculum certum catechismi æquabilitas præstat. Rebus enim homileticis et animarum curæ talis catechismi similitudo usui est.

Si quis hoc experiri velit, Lutetiæ, in evangelicorum Germanorum diaspora animadvertere poterit. Huc enim homines ex omnibus Germaniæ partibus conveniunt, quorum plerique Lutheri catechismum minorem didicerunt. Quum Evangelii minister prædicando quemdam locum e catechismo enuntiavit, omnes fere auditores illa verba recordantur, et experti sumus quo gaudio tales loci audiantur voceque submissa repetantur, et quomodo commoveantur qui in his verbis quasi patris, aut matris, aut primi pastoris vocem audiant : Permultæque suaves recordationes ex puerili ætate e pagoque natali illis in mente resurgunt.

Quod idem fit in animarum cura afflictorum ægrorumque lustratione qui interdum minus parati sunt ad præstantissima consolationis et exhortationis verba audienda. Quibus omnibus verbis, quamvis optimis, ex animorum frigore et languore illi non excitabuntur ; sed unius modo catechismi loci commemoratione ægritudo lenitur, solatio datur, animi recreantur.

Neque minus hæ catechismi relationes vincula sunt, quibus qui rerum vanitatibus oblectantur quique in vitia inciderunt ad religionem reducuntur. In quorum animis quum permulta monita non resonaverint, catechismi verbum, per quod carorum mortuorum vox percepta est, frequenter conversionem peperit. Si catechismo unitatem formæ abstuleris, de omnibus his bonis, aut certe de majore eorum parte actum erit.

Postremo catechismi unitate etiam inter singulas parochias fœdus constituitur. Ubi ex septentrione ad austrum cujusdam regionis, et ab oriente ad occidentem, idem catechismus pervulgatus est, hac similitudine vinculum valens præbetur, de cujus pretio fortasse laici melius et justius judicare possunt quam theologi, qui quidem ex consuetudine eo adducantur ut exteriorem rerum formam minus considerare soleant. Quæ similitudo nostris temporibus eo ma-

gis necessaria est, quo faciliores multitudinis migrationes quam olim redduntur, et ita parochiæ quondam magnis spatiis separatæ nunc proxime conjunguntur.

Quin etiam catechismi æquabilitate inter diversarum nationum et linguarum ecclesias communio quædam efficitur. Quamquam haud fieri potest ut catechismus ex alia in aliam linguam ad verbum transferatur, tamen semper catechismus talis, qualem nos intelligimus, id est quinque christianæ religionis capita, in linguam quamlibet verti poterunt. Hoc unum opus est, ut explicatio sit simplex, clara, brevis, populari dicendi genere; quibus rebus præstitis, idem in variis linguis catechismus utendus erit.

Longius imo progredimur, et omnes ecclesias evangelicas eo pervenire posse contendimus, ut eumdem fere habeant catechismum. Lutheri quidem de cœna sancta explicatione remota, non intelligimus qui evangelici, sive zwingliani, seu calvinistæ, seu methodistæ, seu anabaptistæ, seu etiam darbystæ sint, Lutheri catechismum minorem, exempli gratia, rejecturi sint. Hoc modo catechismum evangelicum œcumenicum haberemus.

Quare, si illa quinque capita, ut christianæ fidei res præcipuæ ab omnibus ecclesiis evangelicis agnita et in catechismum recepta erunt, homines qui fidem seu romanam seu græcam profitentur, ea re maxime commovebuntur et quas alias habent doctrinas levioris momenti esse intelligere assuescent. Itaque egregia sine dubio fidei evangelicæ victoria in omnium christianorum animis reportata foret, quæ certe eo majoris fieret ponderis quo firmius et constantius quinque illorum catechismi capitum natura egregia ab omnibus evangelicis prædicaretur. Lutherus, in suo catechismo, hoc uno modo contra romanæ ecclesiæ errores, secundissima ut patet fortuna, certavit.

PARS QUARTA.

DE CATECHISMI STUDIO.

Nunc quæritur quomodo catechismus sit tradendus et discendus. In qua re plene ad ea præcepta accedimus quæ Lutherus in catechismi minoris præfatione catechistis dat.

« Primo omnium, inquit, hoc cavebunt concionatores, ne subinde

alio atque alio modo vel Decalogum, vel dominicam Orationem, vel Symbolum apostolicum, vel etiam sacramenta proponant, sed ut perpetuo eadem utantur forma in his proponendis et explicandis vulgo... Et debet is primus esse labor, ut Decalogum, Symbolum, item Orationem dominicam de verbo ad verbum nude et simplicissime doceas, ut, eadem sæpius audita, ipsi quoque auditores referre discant.

« Secundum : Quum simpliciores illi jam catechismi verba bene annumerare didicerint, tradenda post quoque eis est explicatio, ut ea etiam intelligant... Sicut autem, ut ante monui, catechismus nudus iisdem semper verbis vulgo proponendus est, ita in expositione catechismi cuperem perpetuo eamdem tractationem sequendam, ne quidem immutata unica syllaba.

« Tertio : Postquam hanc brevem catechismi expositionem absolvisti, tum illam longiorem tractationem ingredieris, ut plenius omnia auditores intelligant. »

Hæc sunt admonitiones magistri illius qui scientiæ pædagogicæ peritissimus erat.

Summa cum vi igitur nobis dicendum videtur, necesse esse catechismum quem nudum appellant ad verbum disci et multis repetitionibus ita in adolescentium memoria inscribi, ut per totam vitam nunquam ejus verborum obliviscantur.

Illorum enim opinione res falsior nulla est, qui catechismum ad verbum edisci vetant, et solis explicationibus ad idem propositum pædagogicum se perventuros esse putant. Quæ judicandi ratio in errore quodam physiologico et psychologico posita est. Adolescentium enim cerebra præsertim egregia ad verba absumendi facultate prædita sunt; quare in puerili ætate memoriæ copiose providendum esse natura ipsa indicatur. Rerum autem intelligentia nisi gradatim, verbis præcognitis, iis non obvenit.

In quo e Bossueti sententia loquimur, qui dicit non recusandum nobis esse quin mature adolescentes, certis finibus, doceamus res quas jam non intelligant. Inquit enim egregie : « Si vous trouvez quelquefois des choses qui surpassent la capacité des enfants, vous ne devez pas pour cela vous lasser de les leur faire apprendre, parce que l'expérience fait voir que, pourvu que les choses leur soient expliquées en termes courts et précis, quoique ces termes ne soient pas toujours entendus d'avance, peu à peu en les méditant, on en acquiert l'intelligence » (Catéch. de Meaux).

Hoc idem nos ipsi, quod ad nos attinet, experti sumus. Maxime enim nunc gaudemus quod in puerili ætate permultas res edidicimus quas tum paulum seu nullo modo intelleximus, sed quas scire maximo nobis commodo est. Et hoc imprimis de catechismi notitia dicimus. Nunc etiam thesauro catechetico alimur, quem pater pius puerili nostræ memoriæ tradidit.

Munere pastorali fungentes, sæpe comperimus, eam rerum sanctarum instructionem minime sufficere quæ solam ad adolescentium intelligentiam spectet, nec multum eorum memoriæ curet. Duarum tantum rerum insignium mentionem hic faciemus, quæ eodem fere tempore evenerunt.

Adolescens quidam germanicus, viginti annos natus, litteris eruditus, honestissimi generis, Lutetiam venerat, ut gallicam linguam disceret. Quum subsidiis deficientibus in egestatem incidisset, nos adjumenti expetendi gratia adiit. De stirpe et religione interrogatus, evangelicæ se fidei esse respondit, natum atque educatum in quadam ex magnis Germaniæ septentrionalis urbibus. Ut quæ dicebat tentaremus, ex nostra consuetudine quæsivimus ut Orationem dominicam memoriter pronuntiaret. Parum quidem fidenter initium fecit, jam verbis hæsitantibus, moxque omnino memoria hæsit. Deinde ut Symbolum apostolicum, postremo ut decalogum diceret rogavimus, quorum vix ulla verba scivit. Nihilominus juvenis ille, justa et constante evangelica institutione fruitus, primam fecerat communionem; sed catechismum nunquam didicerat; nam ejus pastor, quippe qui improbaret ad verbum discendi usum, catechumenis præsenti sermone institutiones sacras maximo studio elaboratas dabat, quas scriptis mandare debebant. Hæc eorum fuerat præparatio catechetica. Ex qua imagines quædam dubiæ et vulgares superant, sed nihil firmi ac solidi, nulla religionis notitia certa, nullum elementum stabile, circum quod notiones novæ accumulari possint; nihil tandem remanserat quod in rebus adversis et angustis solationi esset.

Eodem fere tempore, ad ægrotum senem septuagesimum annum agentem appellati sumus. Qui, in Germania septentrionali natus, post primam communionem scholam adire desierat, primoque in artificio versatus, deinde, miles factus, quum imperii bellorum temporibus in Galliam venisset, mulierem quæ catholicæ romanæ erat fidei in matrimonium duxit, et in conjugis urbe, ubi nulli erant evangelici, domicilium collocavit. Ejus liberi catholicæ Ecclesiæ

addicti fuere, ipse autem religionis nullam amplius curam habuit, neque ullum publicum Dei cultum adiit, nec patriæ lingua utendi oblata fuit facultas. Senex factus, cum uno e liberis Lutetiam venit; sed priusquam graviter ægrotavit, pastorem non desideravit. Quum eum adivimus, se jam nihil de religione, nisi Orationem dominicam et Symbolum scire confessus est, hæc autem diligenter et sine intermissione recitavit. Nonnullis e sene quæsitis, illum puerum Lutheri catechismum et nonnulla cantica optime cognovisse certiores facti sumus. Itaque postquam aliquas catechismi explicationes in ejus memoriam redegimus, et quosdam canticorum versus diximus, maxime commotus : « O ! exclamavit voce lacrimis interrupta, hæc in schola didici; ea repetas, quæso! » Quod quum fecissemus, verba nostra submissa voce suscepit. Deinde ardenter cupivit, ut in arca quadam remota inter alios veteres libros catechismus suus et canticorum compendium quærerentur. Quibus repertis, quum ipse cæcus fere esset, ejus filius, germanicæ linguæ ignarus, hujus linguæ litterarum figuras didicit, ut, quamquam non intelligens, patri catechismum et cantica legere posset. Itaque catechismi et canticorum memoria celeriter repetita, senex ille, qui complures postea annos vixit, maxime gavisus est, quod, catechismum recitans et cantica quæ puer didicerat, ipse animum ad Deum elevare posset. Dicere nobis licebit, eum mortuum esse catechismum suum, precum loco, dicentem.

Multas alias res ejusmodi comperimus. Nam quo sæpius damnosa observare licet quæ ex eo quod catechismus memoriæ non traditus est efficiantur, eo magis quam magna emolumenta ad verbum discendi ratione præbeantur elucet. Quæ memoriæ vacuitas non solum defectio quædam levis, sed vulnus grave est, quod vitæ piæ progressum et Dei regni constitutionem, quam sanctus Paulus οἰκοδομήν vocat, valde prohibet.

Sed, ut in omni sane re modus excedi potest, ita rerum divinarum institutio ad solam memoriam spectans, neque ullam præbens explicationem eorum quæ discuntur, bona institutio certe non esset. Sed talem rationem minime laudibus commendamus. Imo juniores quæ discunt, quantum fieri possit intelligere volumus. Nam quo melius intellexerint, eo facilius et certius memoria retinebunt. Hæc explicatio catechistarum officium est, qui item non solum intelligentiam instigare, sed etiam corda et conscientias adolescentium movere debent. Longe ab eo absumus ut illam pulchram et magnam

adolescentium cogitationes et animas colendi operam negligi velimus. Sed illas res memoriæ firmissime tradi, maximi esse momenti putamus, quia ita et comprehensionis fundamenta ponuntur, et adolescentium cordibus non minus quam mentibus thesaurus egregius pro tota vita affertur; omniaque emolumenta quæ in priore capite enumeravimus, ad effectum non adducuntur, nisi catechismus optime discatur et memoria retineatur.

Quod catechismi studium his temporibus magis quam unquam in Gallia necessarium nobis videtur, quum primarum litterarum scholæ ab ecclesia et religionis institutione sejunctæ sint. Quocirca rerum divinarum institutio nunc et in ecclesia et domi fieri debet. Pro qua re bene efficienda, bono catechismo opus est, qui apud omnes recipiatur neque iterum atque iterum emendari necesse habeat.

Talis catechismus sacræ puerorum institutioni fundamento esse debet, sive dominica die fit, sive alia. Historia sacra, inferioris momenti, tradenda est utcumque tempus permittet. Nam qui catechismi studium historiæ sanctæ postponunt, nostro arbitratu leges pædagogicas negligunt. Quodsi utrumque tractari licebit, maximi certe erit emolumenti. Sed si alterum est postponendum, historia sacra omittenda est.

Nostris diebus, quum patres matresque familias liberos suos in ipsa familia instruere, atque ita catechistas juvare et pastorum vice fungi debeant, catechismum solum et verum esse librum qui ad hunc usum aptus sit experientia cognovimus : primum quidem catechismum nudum, deinde catechismum explicitum, tum appendicem. Neque priusquam adulti qui pueri catechismum optime didicerunt, catechismum eumdem liberos suos docuerint, quæ bona catechismo uno et eodem ab omnibus in memoriam bene recepto præbeantur, in Gallia unquam percipietur. Tum demum fore ut omnes illæ rationes quibus catechismum edisci hoc tempore nonnulli vetant, una omnium catechistarum experientia refutentur nobis persuasum est.

Tum tandem catechismus partem illam oblinebit quam in divinis rebus habere debet, nempe primum erit et summum educationis instrumentum, et aurea illa catena qua universitas christianorum arctissime conjungitur.

PARS QUINTA.

DE OPTIMO CATECHISMI EXEMPLARI.

Reliquum est ut de tentamentis quæ theologici quidam evangelici ad egregium illud catechismi exemplar præstandum susceperunt, nonnulla dicamus.

Non plures quam quatuor catechismos novimus qui, in majorem quamdam partem, id præstent quod e catechismo absoluto et perfecto requirendum est. Sunt autem hi, temporum ordine : Catechismus Brenzii, Lutheri catechismus minor, Calvini catechismus prior, catechismus brevior Scoticus (1).

Quatuor hi catechismi tempore orti sunt quo sensus pædagogicus nondum falsa psychologia J. J. Rousseau ejusque discipulorum corruptus erat; eosque omnibus recentioribus catechismis multo præponimus, quorum maximum est vitium eosdem neque cum natura neque cum proposito catechismi convenire et sive Bibliæ summaria esse, sive libellos dogmaticos, sive etiam disputationes theologicas quas ad juniorum mentes adaptare auctores conati sunt. Quo factum est ut hi theologi nihil aliud perfecerint nisi mala summaria, malos libros dogmaticos, præcipue malos catechismos, vel potius nullos catechismos, nam opera illa non digna sunt quæ catechismi nomine appellentur. Ut bonus catechismus præbeatur, ad reformatorum regulas pædagogicas atque ad eorum de catechismo notitias redeundum est.

(1) Catechismi Heidelbergensis mentionem non facimus, qui, centum et viginti novem quæstiones continens, supra modum est magnitudine, atque insuper parum pædagogica ratione compositus est. Quinque enim illa doctrinæ christianæ capita dilacerata sunt, eorumque ab arte dialectica valde dissentientem ordinem sic indicare licet : I° De Symbolo apostolico; II° de Baptismo; III° de Cœna Domini ; IV° de Oratione dominica; V° de Decalogo.

Sed contra, quatuor supra commemoratis catechismis « Puerilem doctrinæ christianæ institutionem » adjicere parati sumus, quæ in liturgia quadam gallica, anni 1542, sub titulo « *Institution puérile de la doctrine chrétienne,* » reperitur (Vid. Corpus reformatorum, ed. Baum, Cunitz, Reuss, T. XXII, p. 101). Tantummodo hunc libellum unquam usui fuisse non putamus. In quo quinque illa capita in eodem ordine quam in catechismo Heidelbergensi traduntur; atque multum deplorandum est, hunc catechismum non melius conceptum esse, nam brevitate et subtilitate maxime commendatur.

Nunc, quia unus e quatuor illis catechismis deligendus est, primo duos eorum, scilicet Brenzii catechismum et catechismum Scoticum, secundum rationem analyticam, Lutheri autem et Calvini catechismos secundum rationem syntheticam conscriptos esse admonemus. Quare quum huic posteriori rationi supra assensi simus, ab initio utrumque catechismum analyticum removemus; quamquam magnam catecheticam vim eis inesse non negamus, qua non sine fructu utimur (1).

Quæ quum ita sint, ut Lutheri et Calvini catechismos inter se conferamus superest.

Uterque autem reformator bis opus suum incepit, quum primum rudimentum utrique minus placeret. Sed Lutherus quid rebus catecheticis prodesset melius intellexit et ita rem felicius gessit. Nam priorem suum catechismum, quem majorem nunc appellamus, non satis cum catechismi proposito convenire persuasum habens, alterum fecit catechismum, qui minor vocatur, quique summus et singularis ejusmodi liber fuit et usque ad nunc permansit, non minus quod ad rem quam quod ad formam attinet. Quare Calvinus quod in priore suo catechismo Lutheri et rationem et propositum secutus est, optime fecit. Attamen quum hic liber non satis concisus, nec satis populari dicendi genere scriptus, nec sub interrogationum responsionumque forma compositus esset, alterum componere conatus est. Quod opus ei minime contigit. Nam tantum aberat ut priorem librum emendaret eumque simpliciorem, breviorem, magis ad populi intellectum aptum redderet, ut contra, aliud sibi propositum constituens et rationem analyticam sequens, plane novum faceret catechismum, multo ampliorem, graviorem, plures

(1) In Brenzii catechismo, et in Scotico, exordium sumitur ex ea quæstione quæ ad hôminis « finem » pertinet : et ab illa re initio facto, universa doctrina christiana in eis exponitur. Quinque capitum ordo in Brenzii catechismo hic est : I° de Baptismo; II° de Symbolo apostolico; III° de Oratione dominica; IV° de Decalogo; V° de Cœna Domini. In catechismo Scotico autem alium hunc ordinem invenimus : I° de Symbolo; II° de Decalogo; III° de Baptismo; IV° de Cœna Domini : V° de Oratione dominica. Qua librorum illorum ratione multæ repetitiones exiguntur, ita ut, exempli gratia, in Scotico catechismo de peccato in primo Symboli articulo, et in tertio, et in Decalogo tractatur. Quæ quidem iterationes, quum in catechistæ explanationibus, ut supra diximus, optimæ videantur, in ipso catechismo non suo loco sunt et bono dicendi generi contraria. Attamen brevitate sua, qua nihilominus omnia necessaria comprehendantur, et catechetico quodam acutissimo sensu, utrumque commendatissimum habemus.

res dogmaticas continentem, minus aptum ad necessitates catecheticas explendas. Symbolum ante decalogum posuit, et quamquam reliqua capita priori dantur ordine, omnem operis compositionem non sine magno detrimento mutatam esse apparet.

Ex quo consecutum est ut quum Lutheri catechismus alter supersit atque magis quam unquam æstimetur et colatur, Calvini contra catechismus alter, qui Genevensis appellatur, omnino derelictus sit. Prior autem Calvini catechismus ut denuo reviviscat et in usum veniat spes nobis relicta est. Ad quod consequendum, ut eum sapienter quispiam, secundum pædagogicam rationem convertat necesse est, nec, ut opinamur, difficillime.

Quid igitur ex hisce arguendum est? Multi quidem libri gallici exstant qui catechismi nomine vocantur, sed verus catechismus gallicus non jam scriptus est, quem in lucem edendum esse maxime necesse est, nam res et tempus urgent. Porro, quum ea quæ opus sunt, nempe catechismi elementa et dispositio, Lutheri et Calvini catechismis minoribus præbeantur, id tantummodo agitur ut illa in succum et sanguinem nostrum vertantur, et formam vere gallicam induant, ita ut vulgus non minus quam litterati libellum illum videntes dicere possint : « Hoc est os ex ossibus meis, et caro ex carne mea. »

Tum in nostra quoque patria, ecclesia evangelica thesauro fruetur, qui his temporibus vehementer desideratur. Egregium enim educationis religiosæ et communitatis ecclesiasticæ instrumentum nobis præsto erit; et, secundis effectibus qui ex hujus libri usu sequuntur consideratis, falsæ opiniones eorum corrigentur, qui, ignari veræ catechismi notitiæ, illi docendi rationi adhuc parum favent.

Vidi ac perlegi.
Publ. disputationis præses,
A. VIGUIÉ.

Vidi.
Fac. theol. ev. Paris. Decanus,
F. LICHTENBERGER.

Typis mandetur.
Academiæ parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

FINIS.

Paris. — Imprimerie de Ch. Noblet, 13 rue Cujas. — 9210.